3

quia dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus Gaudiosum defensorem sedis nostrae qui Syracusis de-
gere conperit tanta paupertatis arte rerum inopia constringi. Idcirco experientiae tuae praesentium au-
ctoritate mandamus ut a praesenti secunda indictione sex sol(idos) annis singulis eidem dare non dif-
feras ut et ille huius remedii solacio potiatur. Et tu quod dederis tuis sine dubio noveris ra-
tionibus imputandum. GR(EGORIUS) ROMANO DEFENSORI. FANTINO DEFENSORI. SAVINO SUBDIAC(ONO)
HADRIANO NOTARIO. EUGENIO NOTARIO. FELICI SUBD(IA)C(ONO). SERGIO DEFENSORI
BONIFACIO DEFENSORI A PARIB(US) T(ERTI)ES EX PATRONI. LXX.

Quamvis sic cauta provisio culparum vias obstruere et noxia declinare, hanc neg-
lectus parit excessibus et quae sunt cavenda solet incurrere. Magna nos sollicitudinis
oportet curam impendere et firmius sacerdotum atque clericorum opinioni parcere et cautele
prospicere. Pervenit autem ad nos quosdam episcoporum sub praetextu quasi solacii in una domo cum muli-
eribus conversari. Et ideo ne per hoc aut subtractoribus iusta obtrectationis detur occasio aut
facile antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis assumat, hac tibi sententiae
praeceptionis iniungimus ut strenuissime studeas et sollicitudinem exhibere. Et si qui episcoporum quos
commissi tibi patrimonii finis includit cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas ut
de cetero illic eas habitare nullo modo patiaris. Exceptis eis quas sacrorum canonum
censura permittit, id est matrem, amitam, germanam et alias huiuscemodi de quibus prava non
possit esse suspicio. Melius tamen faciunt si etiam a talium se cohabitatione contineant.
Nam legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit dicens: Quae cum sorore mea
sunt sorores meae non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis esse debet instructio. Nam
in hac re praesumptionis est quod fortis pavet et minus validum non timere. Sapientem enim in hac re
superat quid dicere et incertus sis. Et quidem nos nullos in hoc violenter adstrin-
gimus. Sed sic facere solent medici et si ad tempus triste curantur pro salute dictamen
idcirco non necessitatem imponimus sed imitari doctrinam si in quae iure elegerint ipsorum
voluntati relinquimus. Tu aliquid experientia ut servari debeant ea quae prohibenda
mandavimus studium et sollicitudinem geras, ut si aliter postmodum invenimus neglege-
nter elevasse apud nos noverit periculum incursura. Praeterea cur fugerit